



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Originvm Monasticarvm Libri IV.**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

Cap. XIV. Ordo Montis Virginis per S. Guilielmu[m] Vercellensem institutus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11249**

## CAPVT XIV.

*Ordo Montis Virginis, per S. Guili-  
elmum Vercellensem insti-  
tutus.*

**G**uilielmus Vercellis natus honesto loco  
orbatus parentibus, annum 14. agens, reli-  
cto sæculo, vitam solitariam aggreditur, ac  
ferro interiùs accinctur, vnica & humili ve-  
ste indutus, solo pane & aqua contentus,  
humiliter cubans, cùm aliquandiu peregrinatus  
loca sancta celebriora visitasset, Melphim in  
Apuliam peruenit: vbi litteras breui diuini-  
tus ita didicit, vt in veteri & noua lege ver-  
fatissimus videretur. Melphi in proximum  
opidum recedens iuxta mōtem Solicolū ca-  
co lumen restituit. Quo miraculo vt nomi-  
nis celebritatem vitaret, se ad peregrinationē  
Hierosolymitanam accingit. Cùm in Salēti-  
nos apud Vriam venisset, à *Ioanne* eremita, vt  
secum habitaret, summopere rogatus, cū ac-  
quiescere nollet, à latronibus malè habitus,  
ad illum redire cogitur. Inde diuino admo-  
nitu Atripaltam, deinde Salernum venit:  
vbi à milite lorica ferream, qua super carne  
nuda indutus est, impetrauit, vt aduersus car-  
nis & Dæmonis tentationes munitior esset,  
sicque ad montem Virginis perrexit, vbi e-  
remitam inuenit nomine *Ioannem*, cum quo  
degens,

degens, cum aquæ inopiâ laborarent, fontem  
è saxo manantem diuinitus reperit. Ibi ora-  
torio, & tuguriolis exstructis, ordinis sui fū-  
damenta iecit, alumnis in dies ad eum con-  
fluentibus, & templi aggressus est ædificati-  
onem, brachio, quod obriguerat, vni ex ædi-  
ficatoribus restituto. vbi mirum aliud con-  
tigit. Habebat asellum ex proximo nemore  
quotidie ligna ferentem: quem cum lupus de-  
uorasset, is Guilielmi præceptis parens officii  
um aselli non sine maxima omnium admi-  
ratione compleuit. Exstructo itaque mona-  
sterio, illique sub S. Benedicti regula *Alber-  
to* Abbate præfecto, ad solitudinem apud Tri-  
saricum, in monte cum Ioanne eremita re-  
dijt: vbi à *Roberto Guiscardo*, Apuliæ Comite  
inuisitur, cuius pædagogus de Sancto Guili-  
elmo oblocutus, diuinam protinus vltionem  
expertus est, cruribus sibi putrefactis, ex quo  
morbo breui miserè interiijt. Quidam etiam  
pagi proximi venator, cum baculo inter ve-  
nandum Guilielmi caput verberasset, à dæ-  
mone repentè arreptus agitabatur, donec  
precibus ipsius Guilielmi, à domino eius pa-  
gi enixè rogati (qui postea in eo loco cœno-  
bium construxit) liberaretur. Inde per visum  
admonitus, inter Nuscum & fanum Angeli  
venit, ibique Ecclesia S. Saluatori, cum am-  
plissimo cœnobio, à domino loci exstructa,  
*Anatum*, qui postea Nuscanus Episcopus fuit,  
& *Ioannem*, ciues Nuscanos, discipulos habuit  
præci-

præcipuos. Ibi puellam hortulani filiam cæcā ad lūmē redire fecit, & apud Dinettū castrum Apuliæ Peucetiæ, cū monasterij exstructo-ribus vinum defecisset, in illud aquam cōuertit. Cū ad virū Dei *Rogerus* Sicilię Rex venisset, eūque maximo in honore haberet; meretrix impudentissima Guilielmum hypocritam asserens, Regi se illum sequenti nocte ad peccatum pertracturam pollicebatur. Ad Guilielmi itaque cellam veniens, ad libidinē illi prouocabat; cui is assentiri simulans cellam aperuit, in qua carbonēs erant accensi. Cū illa lectum peteret, vir sanctus carbonēs manibus in duo diuisit, cumque super vna eorum parte decubuisset, illam vt in altera cubaret, inuitauit. Quo miraculo cū sanctum virum super accensis carbonibus iacentem haud cōburi cerneret, impudica mulier perterrita, cū quod contigerat Regi narraisset, conuertitur, ac in monasterio Venusiæ à Rege ædificato vitam penitens egit. Inde à Rege Panormum inuitatus, ibidem impensis Regis monasterium sui ordinis exstruxit. Reuersus ad cœnobium S. Saluatoris, finem sibi adesse presentiens, pijs laboribus confectus, VII. Kal. Iulij anno post Christum natum 1142. ætatis verò 57. obdormiuit in Domino, Innocētio secundo Pontifice Maximo, multis etiam post mortem miraculis clarus. Ita Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ex Paulo Regio, lib. de SS. Regni Neapolitani. Corpus porro S. Guili-

1124.

Guilielmi adferuatur in dicto S. Saluatoris cœnobio, apud Nuscum Apuliæ urbem, in quo diem obiit; Romano Martyrologio adscriptus 25. Iunij. Vide Arn. V Vionum lib. I. Ligni vitæ cap. 51. & nostram notitiam Abbatiarum vniuersi orbis, in Dicecesi Nuscana: itemque Felicem Rendam in vita S. Guilielmi.

Generalis Præfectus Ordinis est triennalis, & præest monasterijs circiter quadraginta septem.

## CAPVT XV.

*Ordo Eremitarum sancti Guilielmi seu Guilielmitarum.*

Ordinis huius caput, ac sedes primaria olim fuit *Stabulum Rhodis*, quod est monasterium apud Rosetum seu Grossetum dittonis Senensis opidum, loco olim deserto situm: in quo eiusdem Ordinis comitia seu capitula generalia quondam celebrati plerumque solebant. In dicto Stabulo Rhodis *S. Guilielmus*, Aquitaniæ Dux & Pictonum Comes, peractis varijs peregrinationibus sacris, eum ab hominum consortio totum se subduxisset, ordinem suum Eremiticum fundauit: quem postea *B. Albertus* eius discipulus, & comes indiuiduus, qui que in sæculo (vt scribit *Dochetus Aquitanorum Chronographus*)